

WBP
Opole I

305 st.

ILLVSTRISS: ET REVERENDISS:

Dño,

D. ANTONIO
SANCTACRVCIO,

S. R. E. CARDINALI,
ARCHIEPISCOPO SELEVCIE.

AD

*Sereniss: ac Potentiss: Polonia & Suecia Regens
Apostolico Nuncio,*

CARDINALITIVM HONOR

ET


Felicem Cracouiam Adu

GRATVLATVR.

*M. IACOBVS VITELLIVS, in Acad: Crac
quentia Tylicianus Professor.*

CRACOVIE,

In Officina Francisci Casarij, Anno Domini, 1630.



Symbolon hoc fidei nostræ; immortalis & artha
 CRUX, vestra splendet nobile stemma Domus.
 Scilicet hæc ipso deducta propago ab Olympo,
 Stemmate cui orbis cessit uterq; suo.



NOVVS & ante hunc diem ad Vr-
 bem in Regno Principem, Tuus
 Illustrissime CARDINALIS in-
 usitatus ingressus, tantum omnibus
 lætitiæ & iucunditatis attulit, quan-
 tum ex Tuo conspectu, & plena ve-
 nerationis Maieitate, vniuerso Regno conciliârat
 dignitatis. Etenim quanto augustior Tu, & virtu-
 tum ornamentis splendidior, Regum istam floren-
 tissimam sedem exornas: tantò illa fortunatior, cui
 ex præsentia Tuâ, & conspectu iucundissimo, ma-
 gnâ impertias voluptatem. Atq; istius communis
 hilaritatis præclaram significationem, cum ex mul-
 torum Tibi gratulantium oculis, animis, & vultu
 collegisses: tum verò, maiore quodammodo ex
 hoc Urbis totius in Tuum obtutum, occurso, quo
 studio ad Tuam amplissimam dignitatem ornan-
 dam, quâ celeritate ad honorificum ingressum com-
 plectendum, omnes status, omnes omnium condi-
 tiones ferantur, cognosces exploratò. Quid enim
 est quod gestientium animorum præclaram retarda-
 ret voluntatem, quòd hæc Vrbs florentissima, Te
 Principem nobilissimum suis in sedibus videat, &

religiosissimi, ac grauissimi Legati Apostolici, munus implentem, Patris Purpurati inchoantem: cum recognoscat, Tecum religionis Sanctissimæ Maiestatem, Trabæ & purpuræ autoritatem, prudentiam, iustitiam, atq; ad eò Romanæ Sedis Sanctissimam diuinitatem, intra mania sua collucere. Et cum omnes, in Te virtutum sublimium famâ excitati, desiderio incenderentur summo; vt eum oculis vsurparent, cuius singularem prudentiam, morum sanctimoniam, non tenuioribus rumusculis, sed clarissimis testimonijs accepissent: quo tandem animo, quâ cogitatione, eos esse oportebit, in eum ipsum, quem præsentem intuentur, cuius aspectu iucundissimo, affatu prudentissimo, recreantur? quem in his publicæ fortunæ ærumnis, quasi cælestis breui affuturæ benignitatis, internuncium accipiunt, & venerantur? Ipsæ templorum Sanctissimæ aræ, ad complectendum iuris sui propagatorem, & defensorem, se commouere videntur, atq; eum grati officij excipere pietate, ob cuius mirificam ad tuendum Diuinum cultum voluntatem, summam recognoscunt Sanctissimi D. N. prudentiam, quòd eum huic Regno ad munus Apostolicum designaret, qui amplificandæ Religionis Sanctæ, legum tuendarum, iuris Diuini confirmandi, & conseruandi, studio quodam ingenti duceretur. Fuit hoc singularis cuiusdam Tuæ Illustrissimæ **CARDINALIS** benignitatis, & memorandæ clementiæ, vt non prius

feliciter

5
feliciter prouectus in amplissimam dignitatem, ex hoc Regno, iter in Italiam adornares; antequam Urbem istam, Regni propugnaculum nobilissimum, pietatis sanctæ, & literarum domicilium, inuiseres: vt ei lucem dignitatis Tuæ affunderes, quæ in te Summi Ecclesiæ Pastoris, recognoscat, & veneretur sanctitatem. Et tametsi effusa gratulantium multitudo, Te aduentantem, plausibili excipiat & complectatur affectu, quorum in vultu publicæ hilaritatis decus, non obscuris se prodit indicijs, & in serenis frontibus, animorum indicia præleguntur; me cum præstringeret amplissimus, in Romano ostro, & Tuâ purpura fulgor splendescens: hæreret lingua, animus in admiratione & veneratione amplissimarum virtutum, & tantæ diuinitatis collaberetur; fuit tamen ingrati alicuius animi, tam frequenti plaudentium in Tuo obtutu acclamatione, communem lætitiâ, imbelli taciturnitate velle præterire: præsertim cum ex Tua incredibili clementiâ, veniam in hanc spem, quod sermonem meum, studio potius Tui cultus, & magnæ venerationis, quàm suis viribus metiaris. Illud quoq; faciliorem mihi ad Te aditum non dubia fide pollicetur, quod Principis mens, tantò benignior esse debeat, quantò sit fortunâ præstantior. Virtutis tuæ fuit, purpuræ dignitatem, honoris tam excelsi, solidam gloriam promeruisse: nostræ felicitatis est, Te istiusmodi insignibus decoratum intueri: Tu in amplissimum & gra-

A 3

uissimum

uissimum Cardinalium ordinem, quasi in theatrum totius orbis clarissimum subuectus es, ut nos ex isto honorificentissimo de Te summi Pastoris iudicio, in partem communis lætitiæ vocaremur: hæc pulcherrimorum ornamentorum, atq; Romanæ Trabeæ Maiestas, in Regno isto florentissimo effulsit, ut hinc fama tua, in orbis terræ memoriam sempiternam emanaret. Quapropter in hac iucunda ob Tuum conspectum celebritate, tam læto populi concursu, cum omnes mirifico Tui visendi studio ferantur, quæso obtestorq; Te, Illustrissime C A R D I N A L I S, ut mecum tacitus Tua bona recognoscas. Hæc namq; ex consensu publico vr̄bis gestientis perfecta non foret hilaritas, nisi Tu simul, in memorandam rerum à Te gestarum, venias recordationem.

Ac primùm ut insignis Tua virtus, illustriora, ex præclarissimâ omnium existimatione, acciperet incrementa; eo splendore maiorum Tuorum est profecta, quibus nemo esset honore, autoritate, & fortunis, & heroicâ sanguinis inclyti propagatione, magis commendatus. Roma Sanctissimæ Religionis sedes augustissima, imperij æterni caput, gentium & terrarum omnium perfugium, Christianæ sanctitatis fons limpidissimus; Domus, & familiæ Tuæ amplissimæ, summam recognoscit dignitatem, & obseruat autoritatem, tanquam illius, cuius semper maxima & præclarissima, in publica omnium tuendâ salute officia extitissent. Plena sunt anti-

quitatis

7
quitatis monumenta, luculentissima annalium testimonia, quæ Sanctacruciorum, in vtrâq; Christiani status Repub. virtutem, in rebus magnis dexteritatem, conficiendi celeritatem, gloriose posteris loquantur. Et meherculè nominis vestri tot seculorum memoriâ, ad posteritatem prorogatio, cum maiorum vestrorum virtuti, tum annalium veritati debetur. Primus generis vestri splendor, & eximium decus Valerius Publicola, acerrimus ille honestatis & libertatis publicæ, à flagitiosa Tyranni oppressione vindex & assertor. Parùm fuit Principem illam gentium Urbem Romam, à primis excitari conditoribus, nisi foret qui depressam, & iam propè Tyrannicâ libidine extinctam, antiquæ redderet dignitati & libertati; parùm erat, ab improbo illo, & impotenti dominatu, libertatem instaurasse: nisi vnus felicitas gentis, tantum nomen, nunquam intermoriturâ famâ, ad gloriosam recordationem, longo annorum interuallo conseruaret. Hæc Vestræ Familiæ laus est & felicitas, tantâ temporum varietate, & vicissitudine, non potuisse vnquam aboleri. Atq; ut res ista, non tam argumentis quàm signis, non verborum volubilitate, quàm manifesta rei perspicuitate, palàm omnibus fiat; Augustum illud & ipsa antiquitate religiosum in Publicolis DD. à Cruce Palatium, non aliud quàm Publicolarum Sanctacruciorum nomen, tot labentibus annis vsurpauit; ita ut in hanc Domum vis illa fati nihil potuisset,

potuisset, quæ aliam labefactârat, quam dispar Do-
minium aliquando gubernasset. Gentis vnus tam
diuturnum imperium, nomen, hæreditatem, ad æ-
ternitatem propè, domus illa Augusta in Publicolis,
ruita est & defendit; cum vnis moribus, vnis legi-
bus, vnâ posterorum ad longum tempus successio-
ne, tantam ferret ætatem. Loquuntur palâm gene-
ris vestri autorem, in iisdem fundis vestris statuæ, &
monumenta collocata, apud Onuphrium de Cruce
Togati statua, cui ascriptum in tabulâ, Valerius
Publicola. Apud Hieronymum Sanctacrucium, in
tabula sculptri quinque fasces Consulares, cum secu-
ribus, item Honos & Virtus, quos amor coniungit.
Quid aliud hæc insignia vestris in ædibus deposita,
quàm ornamentorum gentis vetustissimæ, amplissi-
ma trophæa, & clarissima in omni posteritate mo-
numenta? Quid statuæ, quid fasces Consulares?
quàm si omnem literarum ex hominum memoria
aboleri contingeret testificationem, muta illa & ina-
nima signa, tanquam Maiorum vestrorum imagines,
vos stirpem suam recognoscerent, & hoc non tam
loquendo quàm significando profiterentur. Vobis
fasces illi, ab autoribus vestris, cum nominis hære-
ditate traditi, & commendati, quos aliquando di-
uinarent, sanctiori, & ex suis radicibus, magnificè
efflorescenti potestate, cum imperio & dignitate
præfuturos. Cum verò maximis quibusq; honori-
bus, Maiorum vestrorum floreret spectata virtus: in-
terea

*isardus
ner: Rom:
D. 2.*

9
terea diuinitus lux fidei veræ, populis profligatâ su-
perstitione, cæpit exoriri; Constantino Magno, ad
veritatem Christianam præduce, & autore: etiam
Helena Sancta, tanti desiderij sociâ & administra.
Quæ vt salutis nostræ, & fidei, diuinissimum pignus,
aram Sanctitatis, Crucem Christi, ab infideli im-
probitate vindicaret, iter Hierosolymam adorna-
uit. Circumfuso illi, & splendido equitum comi-
tatu, itineris socium se adiungit, generis vestri exi-
mium ornamentum Tacius Publicola: nè ab eo mu-
nere se diuelleret, quod illi gradû faceret ad omnem
immortalitatem. Feliciter tam religiosum, lectis-
simæ, & sanctissimæ Imperatricis, cessit optatum;
Crux Sancta, in lucem, & solem, fremente, & fru-
stra obsistente impietate, ex obscuris latebris produ-
cta; cuius mediæ partis Romam deferendæ, datum
Publicolæ Tacio negotium. Quid animi tunc, quid
consilij fuisset præstantissimo Herôi? prætermitteret
tam præclarum illustrandi nominis sui officium?
non se eo studio, & pietate, cum religioni sanctæ,
tùm ei cuius imperio mittebatur, vrbi deniq; vni-
uersæ, cui tam inæstimabilem deferret thesaurum,
obstringeret? Ille verò, cuius muneris sanctitatem,
non potuit sine noxâ repudiare, ad illud se, non
impigro comparauit animo, & sanctum pignus, quod
sux fidei traditum ac permissum esset, religiosa cu-
stodiâ Romam deportauit; quo laudabili perfecto
negocio, Crucem consequentis posteritatis ornamen-
tum,

mes Se-
is in Cō-
dio Ita-
liæ.

tum; & fidei tam laudabiliter, facto religiosissi-
mo impensæ, perpetuum accepit monumentum.
O Diuinum, & incredibili quadam commemoratio-
ne, dignum Heroem! ô factum quod humanæ lau-
dis antecedit prædicationem. Quid clarissimo ve-
stro generi potuit contingere aut nobilius ad glori-
am, aut certius ad salutem, quam omnium homi-
num famam perennem, quam ipsum instauratorem
salutis communis, tam illustri officio pignerari? Ni-
mirum fuit vestræ familiæ diuinitus adiuncta ea for-
tuna, vt cum se publicis necessitatibus, & communi
bono propagando impendisset, hoc vnum sollicitè
prouidebat, ne vllâ in parte virorum fortium munus,
à vobis vnquam desideraretur. Formidanda vni-
uersæ Italiæ barbarorum hostium impendebat tem-
pestas, calamitosa armorum hostilium trepidatio,
magis ac magis in dies inualescebat, & iam vis, agro-
rum vastitas, oppidanorum fuga, Constantino non
vanis perferebatur rumoribus; confertissimam bel-
latorum manum, fortissimus deligit Imperator, vt
hostilem feritatem, ferro, & vindice manu, coër-
ceat. Cum verò atrox vtrinq; infestis armis incale-
sceret Mars, cum fulgor ille gladiorum hostilium,
pugnaces militum animos, labefactare videretur:
singularis quædam Equitis Romani Rodulphi in cæ-
dendis barbaris, spectata est fortitudo, qui per infe-
stos gladios, & tela micantia, sternendis hostibus,
viam faciens; præclarum sibi ad gloriam iter com-
muniuit.

11
muniuit. Tantis periculis, infractum & immobilem
animum, vt pro merito ornaret Constantinus; Cru-
cem salutarem (quæ tunc victoriæ prænuncia) in
oculis omnium præfulserat, singulari illi Heroi, cu-
ius ante alios explorata esset virtus, ad nunquam re-
ticendam memoriam, pro insigni gestandam, & vsur-
pandam concessit. Tantum potuit, iucunda illa ab
insigni victoria recordatio, vt eam nulla res, ad po-
steritatem prorogare potuisset, nisi Crucis splendor
in familia vestra, quasi altero cælo refulgens, facti
æternitatem, nullis seculis obscurandam, illustrasset.
Hoc virtutis & memoriæ lumen clarissimum, generi
Sanctacruciorum præluxit gloriosè, ab hoc in famili-
am insignem, autoritatis splendor, multa honorum
ornamenta, illustris dignitas propagata, qui modò
Sanctacruciorum, modò Piliorum, à Pil, quod in Tu-
scana lingua, Crucem significat, nomen vsurparunt.
Quisquam simulatæ assentationi magis, quam expres-
sæ veritati, auribus alienis quàm confirmatis testi-
monijs, rem istam agi existimet? Consentiens tot
seculorum autoritas, annalium grauisimorum, ve-
tustate corroborata fides, nihil erunt? Sunt & qui-
dem firmissima, quæ ita in omni æternitate laudem
nomini vestro defixerunt, vt eam nulla res labefacta-
re, & infirmare possit. Quid infirmaret? vnde reli-
gioni maiestas, Ecclesiæ autoritas, orbi firmamen-
ta, luculenter petebantur. Vestræ amplitudini, Ro-
ma debet summorum Pontificum Sanctitatem, tot
Cardina-

Ioannes
Virgilio
antiquo
Chronico

Cardinalium Venerandam dignitatem, reconditio-
rum scientiarum præclaram existimationem, impe-
rijs præsidia: hæc omnia, Vestrae familiae debentur
amplissimæ. Tam beata propagine, I. Alexander
Papa, ad summam Ecclesiae dignitatem ascenderat,
cui Clerus seculari potestati exemptus, immunita-
tem, nonnullorum in Sacrosancto sacrificio rituum
institutionem, insuper aquae lustralis, religiosam
refert sanctionem. Vestri nominis, & familiae
florentissimæ, fulserunt illæ purpuræ, ostrum illud
Romanum, splenduit in Eubodio Pylio, sub Papa
Stephano V. in Diocleno sub Papa Gregorio IV.
Vestram domo lux illa Cardinalitij honoris, profecta
& propagata, per Ticianum sub Nicolao magno,
per Artemium sub Urbano II. Abundiam de Pi-
lijs sub Calisto II. Intellego quam graue sit & ardu-
um, non exili, sed copiosissimam etiam cuiusquam di-
ctione, tantarum rerum magnitudinem, non solum
exprimere numerando, sed etiam recensere dicendo.
Cuius oculos clarissimæ istius lucis, impidissimi non
perstringant, non obruant radij: vbi etiam ipsum
Eloquentiae flumen exarescat. Verum vt hæc ma-
gna & orbi admiranda sint: Sed tamen maius quid-
dam est, in quod non fortuna, non fauor popularis,
sed virtus tantum ipsa, & singularis animi industria,
possit aspirare. Inuitatum quiddam est & insolens,
eam familiam, quam tanta generis & fortunæ magni-
tudo, populis ostendisset, extulisset, tanta honorum
maiestas,

maiestas, pares Diuis effecisset: ad eum honorem
multiplicis eruditionis dignitatem adiunxisse; vt ve-
stra ista amplitudo, & claritas, non ambitioni, sed
bonitati, & moderationi, ac eruditæ in literis con-
tentioni, videatur occasionem & materiam dedisse.
Efflorescet & propagabitur ad omnem immortalita-
tem, vestrae domus illud insigne ornamentum, Mat-
thæus Prosper, vir ingenio diuino, admirabili do-
ctrina, rerum pro Ecclesia Dei gestarum, memoriâ
commendatissimus, quem Pius IV. ob præstabilem
in omnibus disciplinis perfectionem, in amplissimū
Cardinalium ordinem recensuit, adnumerauit. Ve-
strum est illud multiplicis eruditionis lumen clarissi-
mum Alexander, sub Primo Henrico Imperatore, qui
non solum earum, quæ iam contritæ, & populares
habentur artium: sed reconditissimarum etiam sci-
entiarum cognitionem, animo, cogitatione, me-
moriâ comprehendens, sepsisset, condidisset. Illi
indagandæ speculandæque naturæ, apud Philoso-
phos, ratio laboriosa, ita diligenti consuetudine
emollita, vt nihil obscurum, nihil abditum, nihil
difficile, sagaci & industrio Philosopho videretur:
quod ipsum ad posthumam memoriam, tribus libris
de perfectione scientiarum editis, etiam doctissimo
de symbolâ elementorum cognatione, tractatu est
contestatus. Illi eruditus Mathematicorum puluis,
cum omnibus figuris, lineamentis, numeris, demon-
strationibus ita exploratus, & assiduo exercitio vsq;
adeo

adnumeratus & expensus fuit, vt in tam retrusâ, multiplici, subtilique arte, nihil propè esset quod cum lateret, cum solus senescentem illam per Italiam Mathesios gloriam, viriditati & luci pristinae restituisset. Tam manifestis indicijs, tot virorum clarissimorum testimonijs, maiora vestrae laudis conquiram argumenta? magis metuendum profectò nè exilis ingenij culpa, tam insignem laudis semper florentissimæ, attenuem celebritatem: cum nihil sit priuatum, nihil publicum, nihil in Ecclesiastico, nihil in Ciuili statu, nihil pace, nihil bello, nihil domi, nihil foris, ita magnum, quod non virtutis vestrae splendor eximius illustraret, exornaret. Et hæc quidem pacis, & Togæ, domo vestra, decora accersita clarissima; illa sunt belli & armorum socia, in quibus militaris Sanctacruciorum fortitudo, magno animo exsudauit. Viget adhuc & splendescit clarissimè, nullis obruendus temporibus, in historicorum monumentis, maximis in rebus probatissimus, & omnium existimatione fortissimus, in prælio Nauali, Hispanicæ classis Imperator Sanctacrucius. Qui cum Philippinus Auriæ Neapolim infesto & hostili exercitu circumfedisset, vt vel periculo salutis, libertatem Vrbi compararet, Regi fidem præstaret, hostis impetitionem ferro, & armis coerceret, delictis quibusque fortissimis, ad Capreas, nauali prælio animosè confligit, atq; interpositu corporis sui, & ancipiti capris dimicatione, ostendit vitam etiam ipsam,

*Mauroce-
nus Hist:
Venetæ Lib:
3.*

15
ipsam, publicæ libertati, & communi honestati, oportere post haberi. Tam generosam indolem, inuictum illum animum, non aliundè, quàm ab antiqua illa Romanorum fortitudine, quibus agere & pati fortia proprium esset, profluxisse oportebat; quibus nihil ita difficile & periculosum exitit, quod non aggressi, nomen suum in orbis terræ memoriam sempiternam disseminârunt. Quâ commemoratione eximium Patriæ decus, Tarquinius Sanctacrucius, Patriciae Marchio extollendus, qui tantum splendoris familiaris nobilissimæ comparauit, quantum ab eo necesse erat comparari, qui se ad solidam gloriam, ad res præclare gerendas natum meminisset; vt nemo esset in omni genere virtutis, siue in Toga & pace, siue in bellica fortitudine, aut scientia rei militaris, felicitate, autoritate, rerum omnium peritia, cum eo conferendus. Hac maiorum Tuorum luce clarissima, & omnium admirationi proposita, cum profectus esses, dignum Te maiorum tuorum meritis, & tanta famæ celebritate præstitisti. Non enim solum familiaris dignitate, apud omnes illustrari, aut vnica generis commendatione cognosci volebas, (quæ vana atq; iuani plerumq; tumens ostentatione, veræ laudis pulchritudinem atq; splendorem corrumpit;) sed in eo omnes cogitationes, omnes animi & singularis industriæ neruos insumpseras, vt ad familiaris Tuæ dignissimæ lucem hæreditariam, ex Tuis præclarissimis factis, non fucata, sed veræ & solidæ gloriæ,

gloriæ, non parua accederet amplitudo. Non enim in eo vniuersæ laudis cursum sisti oportere prudenter censuisti, si quis domestica, ad imitandum exempla sibi proposita habuerit; Sed si ad hoc vnum quasi inflammatis gloriæ facibus incendatur, & ita se gerat, vt non solum clarissima hæc maiorum exempla adæquare: sed vniuersam etiam hinc promanantem existimationem, illustri & præstanti suarum dignitate actionum, antecellere videatur. Cùm ille solus sit, qui omnium admirationem & publicam prædicationem mereatur, qui non ad alienam tantum claritatem se referat, sed etiam ex sua propriaq; virtute, omnium consensu, & approbatione, nobilissimus videatur. Quocirca eò semper generosam direxisti indolem, vt cùm ab ea gente, quæ non solum patriæ, sed etiam disitis nationibus, nimium quam foret spectata, ac commendata, vt non domesticorum tantum admirationem, sed etiam Regum exterrorum fortunas, & beneuolentiam, mereretur: vt nè felicitas Tua vnus clarissimi generis nixa radicibus, ad tantum fastigium ascenderet: sed ex Te ipso sumeres quod ad antiquam & illustrem familiæ gloriam adderetur, vt virtutibus tuis quasi structis gradibus, ad vnam, eamq; immortalem veri decoris laudem semper proucharis. Et tam præstans virtutum Tuarum splendor, cùm in omnium oculis effulisset, nec obscura generosi animi, ad magna quæq; nati, & instituti, dedisset argumenta, sanctissimi quoque

que graue illud, ex quo felicitas orbis propendet iudicium, in Te ornando, ad maiora producendo, ita inflexit, vt lucem dignitatis Tuæ nimo operè præclare rebus gestis resplendentem, non solum domi & in patria illustrem, sed etiam longinquissimis nationibus, populis magno locorū interuallo disitis, efficeret admirandam. Cuiusquam est tam exundans dicendi copia, tam copiosa instructi sermonis vbertas, qui felicitatem Tuam promerito expromat? ad quã virtutibus Tuis productus es, vt benignissimo animo, prudentissimâ suffragatione, voluntate inclinatissimâ, summi in orbe Pastoris (cui omnia post Deum vt minora concedunt) dignus viderere. Magnum illud profectò est, Te inclyti generis stirpe, ad hominum commendationem profluxisse, maius longè in lucem statim felicem venire, & auitæ maiorum dignitati, rerum præclare gestarum gloriã, splendorem inusitatum infudisse; at longè maximum, & verè Tuum est, Non iam populari aurâ circumferri, aut domesticarum venditare fulgorem imaginum, sed maximi Pastoris Ecclesiæ studium, fauorem, perspectissimam emereri beueuolentiam, id verò est ad summum felicitatis fastigium gloriosè euasisse. Quanta Tua foret in rebus feliciter gerendis dexteritas, quàm nota & perspecta prudentia, quàm incorrupta vllis bonorum illecebris mens, graue illud & laboriosum vtriusq; in vrbe Signaturæ officium declarauit abundè. Cùm tam solerti curâ, induttria,

Opole

C

fide,

fide, labore, diligentia, officium illud exegisses, tam
sanctè & integrè, sine vllâ offensionis suspitione, in
eo munere esles versatus, vt in Te vnum, quasi omni-
um perfugium bonorum, & æquitatis sanctissimum
arbitrum, curia Romana omnem defigeret cogitatio-
nem, in Te clarissimè, boni Magistratus expressa si-
mulachra, omnes iam inciperent admirari, & ma-
gnis quibusque functionibus, publico desiderio desti-
nare. Posteaquàm verò in eo munere laudabiliter
sustinendo, insignia Tuæ ad gloriam & publicam
existimationem monumenta erexisses: pleno gradu,
ad maiora & ampliora virtus Tua ferebatur incre-
menta: vt tantò gloriosior foret, quantò amplio-
rem & luculentior, de omnibus quàm optimè
merendi, nancisceretur oportunitatem. Namque
vt gubernatorem non nisi in tempestate, militem
non nisi in acie intelligas, ita virum magnum, publi-
co bono iuuando à fortuna datum, non nisi in mu-
nere Publico, inter tot negotiorum fluctus, facile
recognoscas; quos verò securitas otiosa, velut in
mari lento tranquillitas enervat, & emollit, illi ni-
hil quod Viro Magnanimo dignum, quod homini
prudenti conueniens sit, possunt cogitare. Hæc
itaque rerum agendarum moles, hæc negotiorum
tractandorum varietas, vt Te rebus magnis susti-
nendis efficieret idoneum: duabus prouincijs Ecce-
siasticis, Gubernatoris & Prolegati, plenum sollicitâ
anxietate adijsti officium. Postulabat fortunæ Tuæ
digni-

19
dignitas, vt omnes prius in vrbe condiscerent, qua-
lis erat virtutum Tuarum in publicâ administratione
fructus futurus; nam qui exercitum ducit priusquàm
miles fuerit, is planè hostibus hecatombem educit.
Non necesse habeo commemorare, quod omnium
sermone percrebuit, quantâ autoritate, quanta ani-
mi æquitate, quanta honestate, fide, religione, stu-
dio existimationis bonæ, salutem communem, &
statum populorum illorum procurares: vt omnes
quæcunque religiosè sanctè, grauitè, in illis pro-
uincijs gesta fuissent, vni SANCTACRVCIO, tunc rerû
potiente, referrent accepta: quem non tam supra se
esse, quàm pro se scirent, cuius prudentiam excuba-
re pro salute singulorum atque vniuersorum quoti-
die experirentur. Et iure quidem meritò: nihil
enim aliud est imperium quàm cura salutis alienæ,
pro qua nullus labor, nulla sollicitudo vnquam defu-
gienda. Nam qui in se ius tuendæ salutis commu-
nis suscepit, in cuius humeris publica pax, religio,
libertas, aræ, à graui periculo seruandæ, confede-
runt, ei quidquam potest esse in vitâ iucundum &
quod à publicâ cogitatione, tantæ molis ceruicibus
suis incumbentis, securum retorqueat & quem non
somnia, non lectus ad quietem datus, non dulces la-
borati sapor, vacuum à suscepti negotij sollicitudi-
ne præstant, qui solus in negotio, vt alijs otiosis,
solus pro excubijs, vt alijs quietis, solus in metu,
& imminentium tempestatum, trepidatione viuât,

vt alijs magnoperè esse liceat securis. Tantæ rerû difficultati suffecit Tua Illustrissimè **CARDINALIS** solertia, cum operâ, consilio, auxilio, hoc ageres perpetuò, vt nè quid illis qui Tux fidei & potestati commissi essent, vnquam defuisset: vt tunc facile crederent, summam illam Gubernatoris, & Prolegati dignitatem, in Te rectè collocatam, & iudicio Summi Pontificis, digno in loco positam testarentur: quem viderent ad eum magistratum non cupiditatem questus, non popularem pompam, & iactationem, sed fidem, iustitiam, religionem attulisse. Habet quippè hoc magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum patiatur, Principum non modo domos sed cubicula quoque intimosque recessus recludat, omniaque noscenda famæ proponat, ita vt verum sit, in maxima fortuna minimùm cuique licere. Cùm verò multorum sermonibus, clarissima Tua in tanto Imperio fama percrebuisset, cùm plurimorum ad Tuum studium, & admirationem animos incendisset, quòd ampliorem ad Te in populos proferendum nancisceretur campum, in Hispanensi itinere, Comes Legato Maximo datus es, vt in eo Regno florentissimo, quòd maiorum Tuorum fortitudo, & gloria bellica, iam pridem sibi obligarat, illud etiam Tu, sapientia Tuâ, consilio, & religionis propagatæ beneficio, tibi deuincires: vt ex Tuo aduentu intelligeretur, esse in **SANCTACRVCIORVM** familiâ, eam in rebus prudenter transigendis dexteritatem,

21
ritatem, quæ ad promerendos omnium populorum animos, pertineret. Etiam vt ex hoc nobilissimo comitatu, altioribus quibusque officijs, honorificè sustinendis instruereris; cum nihil ita exprimat in animo cuiusque, admirabilem honestatis imaginem, quàm virorum magnorum consuetudo. Ingens enim quiddam habet insignium virorum conuersatio, vt vitæ laudabiliter, & cum virtute traducendæ, non solum præclaram occasionem, sed etiam honestam causam, neque causam tantum, quin etiam grauem, rectè & honestè viuendi, prudenter de rebus sentiendi, afferat necessitatem. Aspexit Te feliciter Patria, ab Hispaniensi reducem itinere, accepit magno desiderio, quem non sine multorum euentuum formidine dimiserat. Sed enim non hic (tametsi maxima prudentiæ iam dedisses argumenta) non hic inquam, quæ Te, ad summa quæque designabat felicitas, conqueiuit. Etiam Regnum Poloniæ amplissimum, quasi theatrum illustre, virtutibus Tuis spectandis, & approbandis, Tibi non sine cælesti contigit ordinatione: etiam te hic Septentrio aspexit, tantò felicior quantò magis ex Tuo augusto nomine, quòd signi salutaris iucundam excitet recordationem, ad spem rebus suis meliorem, erectior, confirmatior fuisset. Legati Apostolici, ad Serenissimum Sigismundum III. officio & munere perfunctus es, Tibi vni in hoc Regno amplissimo, Sedis sanctissimæ veneratio, & maiestas, Tibi summa atque antiquissima

quissima incubuit religio; eius enim in Te, & munere Tuo, expressisti personam, cui iuris diuini, di-
cundi, caelestium arcanorum, atq; futuræ felicitatis,
maxima esset Dei Opt: gubernatione, permessa po-
testas. Quàm honorificum illud de Te meritisque
Tuis, Sanctissimi ad Serenissimum Regem, cui Le-
gatus à latere missus es, testimonium; quàm expres-
sa & luculenta, in Te ornando, prædicando, volun-
tas? quis sensus de Te, suæ Sanctitatis? quæ cogi-
tatio? Cùm pro Te mirifico studio, apud Regem
prudētissimum laboraret? Tuæ virtutis, quàm ata-
tis, maturiores cursus, magnoperè commendans.
Ut enim vidit omnes cogitationes Tuas, ad publi-
cum Ecclesiæ usum propagari, non est passus tantam
virtutem, alterius cuiusquam testimonio exornari.
Et quidem hoc grauissimo Sanctissimi iudicio, fru-
ctum rerum à Te præclarè gestarum, capisti amplif-
simum, cùm ille ad Tua merita extollenda inducere-
tur, cuius effata, Oraculorum similia sunt, cuius ore
suprema Dei voluntas, ad homines sese manifestat,
cuius sanctitatem demereri, est supra humanam con-
ditionem, supra mortalitatem propè, efferri. Tàm
memorabili meritorum Tuorum præconio, Regnum
Poloniæ, sapientiæ & prudentiæ Tuæ luminibus,
collustrasti: legum sanctarum cautionem, iuris di-
uini defensionem, magnâ eum potestate Nuncius
Apostolicus, adisti. Erant tunc omnium oculi in
Te vnum coniecti, expectabatur ab omnibus ordi-
bus.

23
bus cupidissimè quantum admiranda virtutum Tuarum
vbertas sese profunderet, fuit in omnium ser-
mone, incredibilem quandam in Te animi, cùm
bonitate magnitudinem esse oportere: quæ tantâ
suffragatione, apud Regem Potētissimum, digna
videretur. Tàm expressam, & manifestam homi-
num expectationem, tàm insitam de Te opinionem,
admiranda actionum tuarum præcellentiam, & digni-
tate superasti; vt facile intelligerent, Te magna
cùm autoritate, summi in Ecclesia Pastoris tueri per-
sonam, tanti muneris decus, & dignitatem, hono-
rificè sustinere, iura decernere, legum immunita-
tem & integritatem, fidei suæ commissa meminisse.
Nam posteaquàm iudiciorum, de rebus Ecclesiæ fa-
ciendorum, in Regno potestatem, iniuriarum &
æquitatis cognitor constitutus, recepisses: omnes
neruos, ætatis, & industriæ Tuæ, eò contulisti, vt
oppressos potentiorum iniuriâ prohiberes, calami-
tate releuares; dum hoc vnum sollicitè cauisti, vt nè
æquitatem improbitas, consilium temeritas, ratio-
nem furor, fidem, pudicitiam, sanctimoniam, per-
fidia, impudentia, impietas, euerteret, profligaret.
O felices tunc, & verè beatos, iudiciorum & rerum
iudicatarum euentus, fortunatos illos, quibus alie-
nâ circumuentis malignitate, tàm æquus disceptator,
atq; vindex obtigisset. Vidimus & audiuius plu-
rimos, ad Tuum tribunal, iuris præsidium implo-
rantes, neminem autem nisi vberiore spe erectum,
& clemen-

& clementiæ Tuæ benignitate confirmatū, à subsellij
Tuis abeuntem, vidimus: Vt quorum innocentiam,
aut libertatem, aliena impetio oppugnasset, Tu
fraudentas machinationes, animosè perfregisses,
cū improbitati, legum seueritatem, innocentiae, fa-
cilitatis & æquitatis perfugium, ostentares: tan-
tò quidem maiore comitate, humanitate, affabilita-
te, quantò maiori quis opus haberet adiumento;
cū sermo, dubitatio, vultus, meriti gratiam, ple-
rumque corrumpant. Nec verò inter hæc, gratiæ,
aut fauori, aut formidini, locum dedisti; cū sci-
res, iudicem sagacem, & integrum esse oportere,
blanditijs & omni metu superiorem: qui enim istius-
modi succumbat affectibus, vniuersam iudicij reli-
gionem, obterat, & confundat est necesse. Sed
quid blandimentis quibusdam, Te à recto æquitatis
flexu, abduci pateris? Cū etiam vitam Tuam,
in manifestum offerres discrimen, vt nè vnquam ab
officij Tui religione, vel salutis tuendæ causâ, de-
clinares. Eruperat non mediocris pestilentiae con-
tagio, quæ postquàm plurima Regni municipia per-
uagata esset, etiam Varsauiam Regis & Regni inte-
rea domicilium, vbi Nuncij Apostolici officio fun-
gereris, eadem tempestate inuolauerat. Serpebat
longè latèq; malum, ita vt consilia humana, & cau-
tionem omnem eluderet, cum alij fugâ dilaberentur,
alij parietum custodiâ, se, vitamque suam, procul
ab hominum congressu defenderent; Te non vlla tre-
pidatio,

25
pidatio, & infrequens interea Aulae solitudo, à mu-
nere Tuo auocauit: vt nihil æquè magnum duceres,
præter Regis potentissimi honorem, & officij Tui
amplitudinem. Nec secundis quisquam rebus tam
iucundè, ad commodum & vtilitatem suam perfrui
potest, quàm Tu in turbulentis & asperis, inter il-
lam morborum inualescentium formidinem, alacri
animo versabare, quo fidei officioq; Tuo satisfacere-
res. Non aliter Te fortuna Tua, orbi magnum
producere volebat, quàm si per ardua, & aduersa
quæque, exercitum & exploratum, tantò illustrio-
rem quantò animosiorum testaretur: ita suprema
ordinauerat voluntas, eam Tibi affuderat discrimi-
num magnitudinem, vt ex illâ tempestate, pericu-
lorum Te circumuenientium, serena lux, & iucun-
dissima, honoris Tui exoriretur. Ac sicut maris
cæliq; temperiem, turbines, tempestatesq; commen-
dant; ita ad augendam, & apud omnes honorificè
propagandam, virtutis Tuæ gratiam, aduersitatem
illam existimo præcessisse, quò magis Tua, circum
terrores illos, animi magnitudo nosceretur. Nun-
quam virtutis molle documentum est, eius magnitu-
do calamitatibus approbatur, gubernatoris artem
tranquillum mare, & sequens ventus non ostendit,
aduersi aliquid incurrat oportet, siquidem terrores
calamitatesq; publicas sub iugum mittere, propri-
um magni viri censeatur. Felicem secunda fortu-
na ostendit aduersa virum magnum explorat. Vti-

le semper fuit ad usum secundorum per aduersa venisse. Ita in Te Illustrissime CARDINALIS, acerbior illa incubuerat aduersitas, cum sciret, singularia quædam in Te esse adiumenta, magnam vim ad resistendum insipientibus contrarijs, nempe altitudinem animi, eminentiam, & fortitudinem, quæ te non sinerent animo fracto, & quasi abiecto scuto, imbelli trepidatione hostem formidare. In Sacro Purpuratorum Patrum confesso, quasi victor in Olympijs, honorifico, & glorioso præconio, declarandus coronandus, non vulgari, sed inusitato quodam, sed supra humanam rationem modo, eam palmam vt prehenderes, oportebat. Quid enim fuisset ad hominum existimationem magnoperè insigne? in tam alto rerum humanarum stare fastigio, ad quod imbellia, & animi mollitudo gradum perstruxissent, ex quo, violentia fortunæ, spolia legisset, & in triumpho circumduxisset. Erat à Te Illustrissime CARDINALIS, mentis & consilij infirmitas aliena, præstans fuit quoddam bonum, quod in tantis procellis, facem rationis attolleret, & menti ita colluceret, vt omnes incurrentes periculorum fluctus, tolerantia, fortitudine, cæterisque Heroë magno dignis virtutibus superares, & aduersum omnes fortunæ ludentis insultus, inuictò assurgeres animo. Complures in eo omnes suas collocarunt cogitationes, omne studium, & ingenium insumpserant, vt contemptum rerum humanarum, & rectam

de

27
de rebus opinionem radicatus in animos hominum infererent, vt quisq; eorum scriptis & Oratione, ad perferendam fortunæ acerbicatem paratior haberetur. Sed verbosa illa sapientiæ simulatio, vt illis ipsis in hanc periculorum Orchestram descendendum fuit, subito extincta est & euauit, cum ab eorum Oratione, ipsa rerum disideret actio, cum sæpè verba, pro factis, incauto hominum cætui obtenderent, multa contra decretum suum, & masculam virtutis iactationem, committerent. Tu Illustrissime CARDINALIS, quæ illi ad exemplum ambiciosè docuerunt, in Te vno, naturæ quodam eximio, atq; præstanti habitu, non dissimulanter expressisti, cum tantum curâ, labore, vigilijs, auctoritate, consilio, eniti atq; efficere potuisti, quò illi cogitatis suis aspirare non valuissent: ita vt istorum præcepta, & graues sanctiones, quæ de animi fortitudine reliquissent, longo modo non solum ita sentiendo, sed etiam ita viuendo, non adæquares tantum, sed etiam superares: vt iam non stylo adumbratum & simulatum, sed viuum omni tolerantia & magnanimitatis exemplar habearis, cum ea quæ alijs infestissima, atq; inimicissima essent, ad Tuam animi firmitatem, quasi ad scopulum allisa frangerentur. Quocirca, cum hæc quæ Heroicè gessisses, spargi & disseminari in orbis terræ memoriam sempiternam inciperent, cum in Te probitatis & virtutis lumen tantum inclaruisset, & omnium

D 2

prope

propè nationum oculos perstrinxisset; Roma arx & ara salutis communis, magnum illud populorum perfugium, optima præclarissimarum actionum æstimator, nouo isto honore, in Te laborum pro Ecclesia Dei susceptorum, omnes triumphos, omnia ornamenta dignitatis, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi & collocari voluit, cum Te in Amplissimum **CARDINALIUM** ordinem cooptaret. Magna laus, ingens honor, summa & nomini & virtuti vestræ, amplitudo, in eum censeretur ordinem, cuius humeris, mundi vniuersa incubuit machina, qui cætus Diuinus, comitium sacrosanctum, summi & primi in Ecclesia, magna pars Principatus, nuncupatur. Eorum fidei, religioni, omnis cælestium Diuorum concessit potestas: Regum diademata & sceptræ, Imperatorum laureas, & paludamenta, Romanorum fasces, & antiqui imperij ambitiosam pompam, honoris tanti maiestas adæquat, cuius responsa pro oraculis, nutus pro ratione, iussa pro legibus, vniuerso Christiano imperio censentur. Celeberrimū hoc Tuæ gloriæ theatrum, patentissimus maioribus virtutibus campus, amplissimum tantorum meritorum donatium. Ad hunc nobilissimum & honoratissimum confessum, Regum filij adscribi gloriosum existimant, hac purpurâ insigniri laudabile censent, vt maiestatem fortunæ, & amplitudinis Regiæ, Romano ostro insigniant luculenter. Et tamen in hoc orbis terrarum grauissimum consilium, honorificè
produci,

29
produci, à quocunq; Pontifice, magnifica & illustris ad omnem immortalitatem fortuna putanda sit: tamen ab summo Ecclesiæ, & orbis Christiani Monarchâ, **V R B A N O VIII.** in quo perfectissimè inest, quod cuiquam aut Diuina benignitas, aut natura largita esset, quò nullus æquior, nullus prudentior, nullus maior censendis alienis ingenijs æstimator, nullus melior meritis ponderandis remunerator: ab hoc Sapientissimo & Sanctissimo Pontifice, in sublimem adscribi Ecclesiæ dignitatem, longè augustius, & humanâ altiùs felicitate. Atq; ad istum immortalis gloriæ perennem splendorem, magna laudis & admirationis publicæ facta Tibi accessio, quod raro adhuc exemplo, ad obeundum summum, & gerendum honorem, nihil istiusmodi cogitans, Summi duntaxat Pastoris, grauissimo, & sapientissimo iudicio, fueris vocatus; vnde non ambitionis beneficium, sed præclarissimarum virtutum, insigne accepisti testimonium. Quanta Tua in hoc præcellentis dignitatis fastigio, moderatio, quanta animi nullis honorū blandimentis deliniti, æquabilitas, quàm perpetua quædam, & constans, voluntatis ad omnem mediocritatem conformatio, quæ comitas, affabilitas? vt cum summa fortunâ incredibilis quædam temperantia, ad Te illustrandum conspirasse & consensisse videantur. Magna quædam est & inusitata ratio, in summâ amplitudine, ornamentis honorum & fortunarum affluentem, animum tantis non submittere illecebris, in

summâ potestate rerum, tenere modum, bonam mentem, & bonam fortunam, eodem in confinio, integre, moderate, incorrupte, tueri, & conseruare. Nec verò quidquam ita lubricum, & præceps ad ruinam est, quam superbi illi & tumidi honores, quibus idem vsu venit, quod corporibus vastæ & immoderate proceritatis, vt sua molle & viribus, grandi cum pernicie, obruantur: nec prius profundiore illo felicitatis somno oppressi, suam intelligant calamitatem, quam vbi omnia corrupta, & collapsa, in integrum non possunt restaurari. Singularis & magnoperè admirandæ sapientiæ est, in lautiore fortunâ, regionibus officij sese continere, quando secundæ res, acrioribus stimulis animum explorent: & cum aduersitates æquo animo perferri possunt, felicitas non neminem sine graui occupauit detrimento. Si quidem vt ex virtute honos, ita ex honore ambitio, sollicita popularis auræ cupiditas, soleat obrepere: hinc illa ad exitium propè voluntarium accelerata festinatio. Sed ista sunt quæ imbecilliores animos, falsâ & simulatâ boni specie circumuentos, in tot abduxerunt errores: Te Illustrissime CARDINALIS fortunâ in vtraque eundem & æqualem, nihil in eos impulit laqueos; in magna dignitatis accessione, eodem vultu, eadem in omnes facilitate, tam leni & placido affatu extitisti, vt fælicitati tuæ summa debeatur laus, tantum promeruisse splendorem, virtuti & moderationi, excellentem fortunam, æquitate animi conti-

nerere.

31
nere. O singularem & inuitatam, omnium literis atq; memorabili recordatione prædicandam modestiam. Regum & Principum quorumque parem esse, ingentem adæquare fortunam, ea generis dignitate sublimem & conspicuum censer, rerum præclarissimè & laudabili cum dignitate gestarum, iucundâ famâ ornari, celebrari, supremum attingere humanæ felicitatis culmen: inter hæc tamen, nominis & laudum præstantia decora, magno & excelso animo, parcissimum actionum suarum æstimatorem esse, istiusmodi claritatem in omnium oculos se inferentem, moderari, non vlllo supercilio, aut elati animi fastu, existimationem tantam corrumpere, sed comitatis, & humanitatis, non obscurâ significatione condire, omnium animos & studia demereri; hoc magnum est, hoc illustre, & memorabile, nec in consequenti vnquam obliterandum posteritate. Nihil in Te Illustrissime CARDINALIS, tam augusta fortunæ maiestas immutauit, cum probe nosces, talia meritorum ornamenta, tam sublimes honorum, & dignitatis gradus, vt supra homines sint, hominum tamen esse: quorum hæc splendida & lauta fortuna, nè minimâ etiam ad cuiusquam corpus, vmbre accessione, auctior sit comperta. Arrogantium illud est commune, qui prodigiosa sui ignorance, & omni insolentiâ tumentes, permagnò aditum ac tactum sui liminis soleant æstimare, nec mediocris in loco honoris ducere, vt

ostio

ostio suo propior assideas, vt gradum prior intra domum ponas: hoc tumentis hominis est indicium, quem incauta fiducia, permansuræ semper potentia ludificat. Te facilis accessus priuatorum, illaque sermonis iucunda affabilitas, tantò magis omnibus efficit admirandum, quantò gloriosius sit, rebus ad voluntatem fluentibus, tam amico secundæ fortunæ flatu, nequidquam se totum mobilibus permittere procellis, & infidæ nimio perè credere iactationi: vt illud de Te verum sit, quod alijs blanda affinxit assentatio, tantò melior quantò felicior. Inter hos gratulantium Tibi, festos & amænos plausus, inter frequentes nobilissimorum quorumuis ad Te complectendum, & summo studio prosequendum concursationes, ibis ad commune omnium gentium & nationum perfugium, Urbem Sanctissimam Romanam, Te istis ornamentis virtutum Tuarum circumfulgentem, hac insignem purpurâ, magna cum animi voluptate, propè suis conuulsa sedibus, venientem accipiet, complectetur. Quæ tùm alacritas omnium ordinum, ætatum, hominum, in Te cum dignitate, & communi hilaritate accipiendo, cum alios splendor virtutum Tuarum, alios tantæ dignitatis admiratio, plerosque non tam propinquitatis & cognationis clarissimæ sensus, quam ingens amplissimarum actionum studium, ad Te omni veneratione & cultu præcellenti ornandum, prædicandum, excitabit, inflammabit. Te illud templum

omnis

33
omnis sanctitatis, virtutesque Tuas admirabitur; ascendes in illud maximum orbis terrarum Capitolium, non albescentibus vectus equis, quam bonis Te honorificè prosequentium omnibus, quasi humeris sublatus, non laureatos ex hostibus triumphatis fasces, ambitiosè ostentans, sed Heroica Tua dignitate circumfulgens, non Regum barbarorum compressa superba diademata, in triumpho & pompa ducens, quam immortalium actionum, veram & solidam gloriam præferens, cuius existimatio, omnibus triumphis, inani illi & ambitioso, antecedentium & consequentium comitatu, anteferenda. Cùm verò in summo illo rerum sacrarum augustissimo consilio confederis, humanaque omnia infra Te minora fueris intuitus, Academia primum hoc in Septentrione, & vnicum literarum domicilium, quæ semper Sedis sanctissimæ, fidelem alumnam se profiteretur, quæ religionis & cultus Diuini, summo cum studio, in populis propagaret sanctitatem, & efferuescentem in Regno Poloniæ Hæreseos perfidiam, in primo nascentis mali ortu compresserit, illiusque labem, ad perniciem communem sese expromentem, adstrinxerit & retardârit, quæ literarum & pietatis semper se recognosceret parentem: hæc Tibi humiliter, sacram Tuam venerans purpuram, pro Tuo maximo, de omnibus quam optimè merendi affectu submissè supplicat, vt cùm clarissima & maxima, in omne genus hominum, singularium

E

larium

larium meritorum famam commenderis, etiam apud
SANCTISS: D. N. eius consulas & prospicias rationi-
bus. Nullum est magno Heroi, & immortalitate me-
rituro, genus beneficij dignius, quam quod erogatur
ad literas tuendas, & conseruandas. Potentissimo-
rum Regum, maximorum Principum, domestica &
hereditaria laus fuit, literarum patrocinium sibi de-
poscere, vt cum nomen suum ad orbis memoriam
immortalem propagassent, etiam grata literarum
memoria, & prestantissimis, in earum salute & in-
tegritate amplificanda, meritis, ad omnem poste-
ritatem, illustrari & commendari, gloriosum &
omnibus triumphis maius, censuerunt. Quidquid
verò literarum nostrarum, officiosa & Tibi semper
deuincta, hoc illustri beneficentia exemplo, pote-
rit recordatio, omnia preecipuo quodam studio, cu-
ra, cogitatione, quacumque ad predicandam hanc
singularem in literas voluntatem pertinebunt est ef-
fectura: Quanto studio, & amplissima protectione,
Te ad dignitatem suam tuendam, cognouit fuisse.
Atque vt à cæteris immortalis memoria dignissimis
actionibus, tum etiam ab hoc illustri in literas facto,
fama nominis Tui perennis, non statuis, aut saxis
vetustate fluentibus, quæ obscurat obliuio, negli-
git aut carpit posteritas: Sed monumentis æternæ
laudis incidetur; quod fortunæ & gloriæ Tuæ am-
plitudinem, literarum tuendarum necessitati, atque
adeo saluti condonares. Et cum plenus immorta-
lium

lium, ob præclarissima in omnes merita honorum,
satis naturæ, satis gloriæ, satis Ecclesiæ, diutur-
nam ætatem feliciter traduxeris: ab hac concretio-
ne mortali segregatus, Te ipso maior effectus,
humana specie & fortuna augustior, totus Diuino
splendore perfusus & collustratus, ad Diuorum im-
mortales census & adscriptus Ordines, in tem-
pla illa splendidissima receptus, æuo
sempiterno perfrueris.

D I X I.



limum, ob preclarissimam in omnes merita honorum
satis naturae, satis gloriae, satis Ecclesiae, diuina
nam statem feliciter traduxeris: ab hac concretio-
ne mortali segregatus, Te ipso maior effectus,
humana specie & fortuna angustior, totus Diuino
splendore perfusus & collustratus, ad Diuorum im-
mortales curas & adscriptus Ordines in tem-
poribus illis splendidissimis receptus, tuo



K

